

**1998-08-17 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Cisterciensis Familiae’**

IOANNES PAULUS PP. II

***EPISTULA DATA  
LAURENTIO S.R.E. CARDINALI ANTONETTI,  
ADMINISTRATIONI PATRIMONII  
SEDIS APOSTOLICAE PRAESIDI***

*Venerabili Fratri Nostro  
LAURENTIO S.R.E. CARDINALI ANTONETTI  
Administrationis Patrimonii Sedis Apostolicae Praesidi*

Cisterciensis familiae sodales per contemplativae vitae rationem, per caritatem erga Deum et proximum perque Sacrarum Scripturarum meditationem Christi Evangelium totum per orbem saeculorum decursu diffuderunt. Inter plurimas spiritualis navitatis sedes, abbatia a sancto Roberto, die XXII mensis Martii anno MXCVII in dioecesi Divionensi condita, prima quidem stat eaque ob mansionem ipsius sancti Bernardi nec non vitae religiosae admirabilem progressionem clara eminet. Christi discipuli locum illum, Cistercium appellatum, incolentes, assiduae dediti precatiōni divinarumque Scripturarum lectioni, eximii spiritualis itineris habendi sunt inceptores.

Quia autem hoc anno novem implebuntur saecula ex quo celeberrimum coenobium illud est conditum, Venerabilis Frater Michaël Coloni, Episcopus Divionensis, una cum Reverendo Domino Olivario Quenardel, Cistercii abbate, eiusmodi magni momenti eventum aequa ratione celebrandum statuerunt. Quapropter petierunt ut ad personam Nostram illic gerendam sacer Praesul mitteretur qui die XVII mensis Octobris nomine Nostro ritibus praesesset celebritatibusque tanto eventui convenientibus. Nos quidem, re mature perpensa, ad te, Venerabilis Frater Noster, qui pro spiritali Ecclesiae bono in Gallia perutilem navasti operam, animum admovemus atque his Litteris Nostris Nostraque auctoritate te designamus *Missum Extraordinarium*, mandatis tibi factis ut die praestituto sacris celebritatibus Nostro praesidis nomine utque, spiritalibus sensibus Nostris omnibus illic radunatis humaniter renuntiatis, communem expectationem expleas. Per Te quidem consalutamus Episcopum Divionensem et Abbatem Cistercii, ceteros Praesules nec non Cistercienses sodales Christifidelesque omnes celebrationum participes: confidimus sane eos omnes renovato animo cunctas vires suas in opus Evangelii Christi varia ratione nuntiandi impensuros.

Caritate Nostra Te prosequimur, Venerabilis Frater Noster, eiusmodi magni ponderis munus exsequentem, atque peculiaris benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus Tibi universisque fidelibus qui memorato die Cistercii aderunt tecumque orabunt.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XVII mensis Augusti, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostris vicesimo.*

IOANNES PAULUS PP. II